

- Ex his, quae breuiffime notauimus, manifestum [A 7r:] fieri omnibus potest glossam et uersionem istam peruersam (Christum coelo capi) analogiae fidei e diametro repugnare et improbari merito multis ijsque grauißimis de causis, quarum paucas plenius et diligentius pio lectori, ueritatis et simplicitatis amanti, considerandas subijciemus.
- 5 Prima est proprietates sermonis in omni lingua. Quis enim unquam hunc sensum inde eliciat, quando legimus (Praedicatus est Christus, quem oportet coelum accipere etc.) ut ordine transposito uerborum et mutato, amphibologiam fingens temerario ausu affirmet, coeli uocabulum poni loco subiecti, cuius sit quasi officium, ut Christum capiat et contineat? Atque ideo dicendum esse, Christum coelo capi, id est, coelo contineri? Apollonis ne oracula et Sibyllae folia in sacris literis et euidentibus testimonijs quaerimus?
- 10 Secunda igitur causa est ueritas et maiestas linguae sacrae, cui tales ex tripode et inferis reuocatae flexibilitates affingendae non sunt.
- 15 Tertio manifestum est, uersionem istam paßiuam tantum usurpari ad stabilendum delirium de localitate siue corporali locatione, cuius testimonia nulla extant in sacris literis. Potentia enim [A 7v:] Christi Filij hominis sedentis ad dexteram Patris omnipotentis, longe maior est, quam ut localitatis aut corporalis locationis noua et periculosa uoce eludi et eneruari et certo coeli loco astringi et eodem capi, terminari et contineri possit. In ignominiam igitur et contumeliam glorificatae in Christo humanae naturae sedentis ad dextram Patris uersio ista cedit.
- 20 Quarto omnium sanorum fides et conscientia isti uersioni contradicit, sicut Tigurini ea de causa modestiores esse uidentur, dum Christum coelo capi, aliorum non suam interpretationem esse dicunt.
- 25 Quinto, uersio ista excogitata nuper et uniuersae antiquitati nostrisque ecclesijs et scholis hactenus ignota, ad coenae dominicae deprauationem et negandam ueri corporis et sanguinis Christi praesentiam et participationem naturalem directa est et confirmat sacramentariorum portenta.
- 30 Te oramus Fili Dei, domine noster Iesu Christe, ut nobiscum sis et maneat et omnipotentiam et ueritatem tuam asseras et corda nostra ad gloriam et laudem tui nominis unias, sancti-[A 8r:]fices et conserues nos in agnita semel ueritate et confessione doctrinae et fidei simplicis, candidae et incorruptae, nec patiaris nos dimoueri ullo metu aut periculo a ueritate Verbi tui et ab
- 35 huius meditatione et gemitu, ut Dauid loquitur.³¹

VVolffferbyti, Calendis Maij,

Anno

M. D. LXXI.

Soli Deo honor et gloria.

³¹ Kein wörtliches Zitat, Anklänge an Ps 37 und 38.